

ipsum ad manus nostras sponte et libere cum consensu .. heredum suorum et .. conthoralis suae legitimaie resignavit renuntians pro se et .. heredibus suis omni actioni seu inpetitioni iuris vel facti, quae sibi in dicto manso competebant seu competere possent in futurum, pecuniamque inde sibi cedentem integraliter et plenarie ei persolutam recognovit humiliter una cum praedicto .. praeposito sancti Thomae praefati nobis supplicans, ut dei intuitu proprietatem eiusmodi mansi ecclesiae sancti Thomae praefati donaremus. Unde nos ipsum mansum liberum per ipsius resignationem in manu nostra tenentes proprietatem eius ob dei et beati Thomae apostoli ibidem patroni reverentiam ecclesiae suae ac conventui praedictis in Lipzk communitatis nobis ad hoc consensu ac voluntate honorabilium virorum dominorum Gunczelini praepositi, Engilberti decani totiusque nostrae Mersburgensis ecclesiae capituli donavimus incorporavimus et appropriavimus, donamus incorporamus et appropriamus in dei nomine per praesentes de dominio nostro in eorum dominium liberaliter transfundentes, nihil iuris penitus nobis aut successoribus nostris seu dictae ecclesiae nostrae capitulo in antea reservantes. In quorum testimonium sigillum nostrum appendi fecimus huic scripto.

Et nos Gunczelinus dei gratia praepositus, Engilbertus decanus et totum capitulum saepe dictae ecclesiae Mersburgensis in signum expressi nostri consensus omnium praemissorum nostrum sigillum praesenti litterae decrevimus apponendum. Actum et datum Mersburg anno domini M^o.CCC^o.XXXIII. in vigilia beatae Katharinae virginis. Testes huius sunt. (Die Namen der Zeugen fehlen.)

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit den sehr wohlerhaltenen Siegeln des Bischofs und des Capitels an Pergamentstreifen.

No. 92. 1334.

Probst Wolhard von S. Moritz zu Naumburg, Ulrich Decan und Witigo von Ostrowe Domherr der Naumburger Kirche bezeugen, dass in ihrer Gegenwart Johann von Drileyben Domherr zu Naumburg und Radolf sein Bruder Domherr zu Zeitz auf ihr Recht an einem Wäldchen die Zauche genannt (bei Baalsdorf) zu Gunsten des Thomasklosters Verzicht geleistet haben.

Nos Wolhardus dei gratia praepositus canonicorum regularium sancti Mauricii in Nuemburg, Ulricus eiusdem gratia decanus ecclesiae Nuemburgensis, Wytigo de Ostrowe eiusdem ecclesiae canonicus recognoscimus et tenore praesentium litterarum profitemur, quod constituti in nostra praesentia Johannes de Drileyben canonicus ecclesiae Nuemburgensis praedictae et Ratolfus frater suus canonicus ecclesiae Cicensis renunciaverunt omni iuri, quod ipsis in quadam silvula quae vocatur Zcuhe competiit seu competere posset in futurum, nihilominus eandem silvulam in monasterium sancti Thomae in Lipch canonicorum regularium in quantum in ipsis est transtulerunt perpetuo remanendam. In cuius rei testimonium praesentem paginam nostris sigillis fecimus communiri. Datum anno domini M^o.CCC^o.XXXIII^o.

Nach dem Orig. im Rathsarchiv zu Leipzig mit drei schadhaft gewordenen Siegeln an Pergamentstreifen.